Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1141

Quelle:
Copyright:

Giconem Priorem in Euersbach. Subſcriptio opuſculi eſt: *Mellici natus* (itaque non in Emersdorf) *hunc ſcripſit librum frater Wolfgangus. Sed finit annus milleſimus quadringenteſimus ſexageſimus primus. Et complet dies menſis ſeptembris ſeptimus. Deo grates immenſe.*

V. *fol.* 170. *Brigittae ſ. Birgittae Suecicae Revelationum Liber* VIII. dictus *Celeſtis Imperatoris ad Reges.* Praeit Opuſculum VIII. *Capp.* inſcriptum minio: *Incipit epiſtola Solitarij ad Reges.* Solitarius hic teſte *Nic. Antonio* in *Bibl. vet. Hiſp.* L. IX. c. 7. p. 116. eſt *Alphonſus Pecha Guadalaxarenſis* renunciato, quem per novennium geſſerat, epiſcopatu *Giennenſi*, *Romae* vitam eremiticam amplexus, *Brigittae* a ſacris confeſſionibus et in *Palaeſtinam* comes, ejusque Revelationum poſt illius obitum defenſor, propalatorque, qui *Romae* an. 1379. diem clauſit. Initium porro Opuſculi ſ. Epiſtolae eſt: *Sereniſſimi Reges et vtinam veri reges* &c. Quae, uti *Revelationes* ipſae, exacte conſentiunt cum editione perrara Romana, facta, ut ad calcem habes: *In ædibus diuæ Brigittæ viduæ, per Franciſcum Mediolanenſem de Ferrarijs, XXI. Auguſti, M.D.LVII. f.* Itaque lubens ad ſubſcriptionem tranſeo, quae hujus modi eſt: *Explicit liber celeſtis imperatoris ad reges reuelatus Diuinitus beate Brigide principiſſe Nericie. De regno Swecie, per antecedentium ſcriptorem. Anno 1462. quarta die menſis ſeptembris Deo gratias.*

VI. *fol.* 222. *Incipit epiſtola Reuerendi domini in chriſto domini Enee* (Silvii Piccolominei, poſtea Pii II. Pont. Rom.) *Tergeſtini epiſcopi. ad Regem ladislaum.* Opuſculum aureum de Puerorum educatione, cujus §. de *Memoriae* exercitio Noſtratibus hoc aevo impenſe commendaverim. Incipit: *Si quem virtuti operam dare* &c. Finit: *ut aliarum hujus opuſculi partium cupidiſſimus videare. vale.* eſtque in promtu cum in editionibus *Epiſtolarum Aeneae Silvii* Sec. XV. factis, tum inter *Opera omnia Baſileae* 1571. in f. impreſſa, ubi p. 965. ita tamen mendoſe legitur, ut e *Cod.* noſtro plurima reſtitui poſſent. Ad calcem *Wolfgangus* noſter minio adſcripſit: *Notandum quod predicti tractatus rubrice ab eius auctore appoſite non fuerunt. ſed ab alio quodam ex materiarum ſententijs excerpte et adiuncte ſunt. Grates deo.*

VII. *fol.* 243. p. 2. *Epiſtola exhortatoria ſiue directoria prioris, miſſa per patrem Johannem ſacre theologie doctorem priori in münſee quondam in vniuerſitate ſuo diſcipulo Anno* 1454. Initium: *Affectum caritatis amoris obſequio iugiter exhibere. Digniſſime frater, petiſti nuper ſermone tibi breuiter explicari* &c. Exponuntur officia Prioris in Coenobio, ſed a quonam *Johanne?* Inter plures a *Mart. Kropfio* in *Bibl. Mellic.* relatos nulli quadrat *Doctoratus* theologicus, nulli *Prioratus* non multo